



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

VIII. An no[n] liceat Confessionem reuelare, cu[m] celatio ipsius in  
præiudicium communitatis cedit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

*Caput VII. De Secreto seu Sigillo*

exemplo dato, rem clariorem faciamus, si vivere necessarium est, & id sine cibo seruari non possumus, fit vt & cibus ipse sit necessarius: Pari ergo ratione, quia confiteri occulta scelera, idque ceu commune bonum Ecclesiae, necessarium est, id quod sine confessionatione sigilli secreti referuari non potest; fit vt sigillum ipsum fit penitus necessarium.

*Quaestio Quomodo iure humano Sacerdos tenetur ad tenendum Secretum Confessionis?*  
VII.

*Responso.* QVOD de iure humano celanda sit Confessio, apertum est ex Cap. Omnis vtriusque sexus, vbi contra Confessionarium, confessionem verbo, aut signo, prodente, graues poenae imponuntur, scilicet, quod deponatur, & perpetuam agat intra monasterium poenitentiam: Similiter de Poenitentia dist. 6. cap. Sacerdos, idem districtè precipitur, vt scilicet nec pro scandalo vitando possit Confessor vllō modo Confessionem sub grauibz poenis, ibidem contentis, detegere.

*Quaestio An non licet Confessionem reuelare, cum celatio ipsius in praediciūm communicantis caedit?*  
VIII.

Neque

**N**Equē ad seruandam salutem totius Reipub. siue temporalem, siue spiritualem, neq; ob vllum, qui fingi posset, euentū, licet sigillū Confessionis aperire: Nam quocunq; casu aut causa rumperetur, Confessio in suspicionem veniret, quod posset reuelari, & inde homines ab illius religione arcerentur, atque adeo Sacramentum periret, quod Ecclesiæ est necessarium. Hinc fit, quod, licet Sacerdos per Confessionē intelligat nefandissimam coniurationem aliquam in Reipub. vel hæresin inserpere; neququam tamen illi fas sit, malo huic, per reuelationem Confessionis, occurrere; Ita vt persona per Confessionem innotescat.

Neque vllius est valoris consequentia; Sacerdos in casu tenetur interitum spiritualem, aut corporalem communitatis ex præcepto, & lege naturæ impedire: Cū verò aliter, nisi reuelatione Confessionis nequeat; teneri eum vt reuelet, præsertim cū præceptum celandi Confessionem pro charitate sit institutum: Quæ autem pro charitate singulorum instituta sunt, non debere contra charitatē boni publici militare. Hæc, inquam, consequentia non valet; quemadmodum & Decretum Symachi distinct. 83. mortem languentibus videtur infligere, qui hanc, cū potest, non excludit; nequaquam probat in casu damnū & interitum Reipub. Confessori sigillū Confessionis religiosè seruanti.

M uanti.

*Caput VII. De Secreto seu Sigillo*

uanti, iure merito imputari posse, quasi, cum obuiare posset ei, non obuiet: Alia enim est tunc prudentia utendum; ut scilicet Sacerdos, quam potest vrgentissimè confitentem admoneat, ut reuelet, nec absoluat eum, si fortè nihil obtinere queat.

Sed & generalibus verbis eos, quibus periculum creatur, admonere potest, ut sibi prospiciant, & pericula imminencia caueant; qua quidem via damno publico obuiare poterit, & tenebitur etiam, si potest, non tamè aperiendo Confessionem; etiam si aliter obuiare non possit; quia nemo tenetur bonum publicum procurare, aut damnum publicum impedire per media illicita, ut per mendacium, aut per fornicationem, aut aliud huiusmodi: tale est reuelare Confessionem, quod semper illicitum est: Non enim sunt agenda mala, ut eueniant bona, nec ut maiora uidentur mala.

Et quod dicitur; mortem languentibus infligit, qui hanc, cum potest, non excludit, procedit, quando potest, de iure eam excludere, quod in praesenti locum non habet.

Et quod dicitur, quod celare Confessionem in casu militat contra charitatē; dicendum, non ita esse; imò potius esset contra charitatem, eam proderet posse, cum inde sequatur communis animarum iactura & interitus. Et ita celatio Confessionis non in quorundam salutē est instituta, sed in comunem totius Ecclesiae utilitatem.

Licet;